

turniorem Regis istius memoriam. Josephus Lib. X. Antiquit. Cap. VI. p. m. 335. eodem fere hæc verba sensu accepit, inquiens: Ἰερουμίας δ' ὁ προφήτης, ἐπιμήδειον αὐτῷ συντάξει μέλος θρηνητικὸν, ὃ καὶ μέχρι νῦν διαμένει: *Jeremias etiam epicedium ei (Josia) scripsit lugubri carmine, quod nunc quoque extare videmus; & Threnos Jeremiæ videtur respexisse, qui nostram ætatem tulerunt.*

§. VI.

De reliquarum gentium ritu, in laudibus demortuorum occupato, plura nobis Græcarum & Romanarum Antiquitatum collectores exhibuerunt. Doctissimus *Doughtæus Annal. Excurs. 86. p. m. 149.* ex Scaligeri Castigat. ad Festum observat, ab Israelitis, nec aliunde consimilem ritum ad Gentiles transiisse. Undeque esse existimat, lugubres illas nenas tam Græcis quam Latinis in funeribus usitatas, quibus defunctorum honorationum præcipue laudes memorant. *Ῥοιδῶν θρηνητικῶν* h. e. *funebrium cantilenarum* meminit *Herodotus Lib. II. cap. 79.* *Nenia*, inquit *Festus, est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam.* Plura dabit *Kirchmannus de funeribus Romanorum*, collecta Lib. II. Cap. VI. p. m. 94. seqq. Sed prout alii ritus laudabiles tandem in abusum abierunt; sic idem pariter de carminibus observare licet funebribus. Quæ enim inter Israelitas olim à summis Regibus & Prophetis composita & recitata, supra vidimus, ea temporis lapsu ab ineptis quoque præficis sunt decantata; unde factum, ut carmina puerilia & incondita, in quibus multa frivola canebantur, nenix sint appellatæ. Testatur hoc *Nonius*, dicens: *Nenia ineptum & inconditum carmen, quod adducto pretio mulier, quæ præfica diceretur, iis, quibus propinqui non essent, mortuis exhiberet.* *Cicero* tamen de *Legibus II. 24.* *Honoratorum virorum*, inquit, *laudes in concione memorant, easque etiam ad cantus ad tibicinem prosequuntur, cui nomen Nenix: quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant.* Vid. *Pitisc. Lexic. Antiquitat.* sub voce *Nenia.* Verum regredimur ad Reges, quoque honore Ægyptii inprimis